



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Assertiones Philosophicæ Fusius Deductæ Philosophiæ  
Peripateticæ communioris Epitomen exhibentes**

**Leuren, Peter**

**Coloniae Agrippinae, 1681**

[vi].

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71607](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-71607)

cuncta unâ cognoscit cognitione, sic cuncta simul potest producere unâ productione; falsum est; præterquam quod non omne id, quod terminus est cognitionis divinæ, terminus sit etiam omnipotentiæ. Hinc denique est, quod Deus videns duas multitudines infinitas non posse existere, adeoque nec sibi coëxistere & coaptari, ut sibi congruant (quod est videre, aliqua esse sibi æqualia) non videat eas esse sibi æquales vel inæquales.

VI. Nequè ex omnipotentia Dei categorematicè infinita bene arguitur, respondere illi dabilem effectum categorematicè infinitum; non enim illa ideo dicitur categorematicè infinita, sed quia identificatur omni generi perfectionis seu essentiæ categorematicè infinitæ. Nihilominus distinguitur in eo adhuc à potentia creata, quod non tantum possit plures & plures, seu infinitos syncategorematicè effectus producere sicut illa, sed etiam infinitas syncategorematicè effectuum species. Nequè, etiamsi hæc omnipotentia foret agens necessarium, producetura esset infinitos categorematicè effectus; sed enim, etsi sit agens necessarium, habeatque

quæ nunc simul potentiam productivam  
omnis lucis, quam producturus est per to-  
tam æternitatem, non tamen jam producit  
omnem hanc lucem simul: quanquam da-  
to, Deum esse chimæram, potest produce-  
re aliam chimæram, vel potius nihil: hinc  
ex eo quod admissis infinitis ignibus, hi pos-  
sunt infinitos alios ignes producere, non se-  
quitur, Deum nunc idem posse: non enim  
habet ille potentiam æquivalentem infinitis  
categorematicè ignibus, quæ uti hi, sic & il-  
la foret chimærica, sed infinitis syncategore-  
maticè. Numerus itaque, quem nunc Deus  
potest producere omni numero finito deter-  
minato majorem, non est infinitus catego-  
rematicè: talis enim ut sit, omni insuper  
numero indeterminato debet esse major.  
Similiter Deus faciendo, ut nunc existat,  
quidquid potest nunc existere, aut ab ipso  
producere, faciet existere infinitum syncatego-  
rematicè (suppono enim rō quidquid sumi  
distributivè, alias acceptum pro collectione  
determinata omnium maximæ, quâ major  
non est possibilis, faciet hanc propositionem;  
faciat Deus existere, quidquid nunc potest exi-  
stere: esse de subjecto non supponente &

ean-

eandem cum hac: faciat Deus existere chi-  
maram, quæ jam potest existere ) facietque ex-  
istere simul, quidquid distributivè potest ex-  
istere simul. Jam verò etsi omnia possibilia  
distributivè, & omnia possibilia collectivè à  
parte rei sint idem, adhuc, quia diversimodè  
sumuntur, mala est argumentatio à sensu di-  
tributivo ad collectivum, sicut malè infero:  
& hanc, & illam, & istam paginam possum  
spatio quadrantis perlegere; ergo omnes si-  
mul. Unde licet quilibet homo ex possibi-  
libus sit seorsim ponibilis, & nullam habeat  
repugnantiam existendi cum aliis distributi-  
vè acceptis, id est, existendi in quacunque  
collectione finita, repugnat tamen, ut existat  
in collectione categorematicè infinita, quia  
hæc ipsa repugnat, & imbibitur hæc repug-  
nantia implicitè in omni ente creato quæ tali.

VII. Neque denique actu & simul nunc ex-  
istentes negationes rerum purè possibilium  
constituunt infinitum categorematicum in  
numero; sicut enim actu nihil sunt, sic ne-  
quidem constituunt numerum, qui compo-  
nitur ex unitatibus, quæ proprietates sunt en-  
tis: & hinc dicere: sunt, vel dantur decem ne-  
gationes, locutio est impropria, & idem, ac  
dice-